

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu Heft I—II. 1904, S. 231—244.)

In magna sexta feria.

Ad primam fit excitatio hora sexta et postea celebratur capitulum, ubi post sermonem exhortatorium, si quando habetur, lecta rubrica de Crucis adoratione hic infra posita Abbas primo dicit suam culpam generalem; deinde omnes fratres secundum ordinem, et in fine singuli de hoc, quod sacrum quadragesimae tempus negligenter vel infructuose expenderint, se proclament. Et primo prior iniungit abbati dicere septem psalmos poenitentiales, et abbas priori psalmos primarum et sic consequenter distribuitur psalterium per cedulas, quae dantur singulis ibidem, postquam culpas dixerunt. Fratribus conversis iniungitur cuilibet dicere quinquaginta pater noster. Hora septima vel media post dicitur tertia in choro. Qua dicta fratres in cellis aut alibi qui volunt orant poenitentias et distinctiones psalterii in capitulo eis iniunctas. Et non dicimus simul in capitulo aut choro]f. 23 r. [totum psalterium ex integro, sed distribuitur, ut dictum est, cum canticis de tempore et de sanctis inter fratres iniungendo nocturnos etc. Post nonam¹⁾ fit signum primum ad sextam, nisi fiat sermo ad populum, tunc enim ante octavam fiant signa ad sextam; qua simul cum nona dicta, interim abbas et ministri induti sine luminaribus et incenso exeunt de sacristia et omnes tres, abbas scilicet, dyaconus et subdyaconus prostrati ante altare super tapetum aliquantulum orant et surgentes abbas osculato altari sedet cum ministris et leguntur per dyaconum et subdyaconum prophetiae duae, ut habentur in missalibus. Lecta passione per fratrem deputatum in tabula postea dicuntur orationes pro ecclesia.

De crucis adoratione.

Postea ministri aptent crucifixum retro altare tempore suo, quod sic adoratur. Abbas cum suis ministris portat crucifixum coopertum casula rubea ad cornu altaris dexterum, quod est retro, et incipit solus abbas elevando crucem cantans Ecce lignum crucis et consequenter; ab isto loco iuvatur a ministris cantando In quo salus mundi pependit. Tunc chorus flectendo genua complet Venite adoremus Iterum abbas discooperit crucifixum usque ad scapulas et vadit ad cornu altaris dexterum anterius et solus interim canit ut supra, altius incipiendo et chorus respondet ut prius.

¹⁾ Am Rande ist hinzugefügt: quartale magnum post nonas(?).

Tertio vadit abbas contra medium altaris discooperiendo totum crucifixum et altius incipiendo cantatur ut prius per omnia. Et post hoc locat crucifixum super pulchrum tapetum in terram ante altare. Et abbas exutus calceos et consequenter omnes ministri ac fratres singuli in choro adorant crucem prostrati hoc modo. Primo vadit abbas et prosternit se in medio chori, ubi sunt parata et strata tapetia usque ad crucem et prostratus orat Pater noster. Deinde surgens vadit ad gradus et ibidem prostratus secundo dicit Gloria in excelsis Deo. Deinde tertio ascendit chorum et ante crucem prostratus dicit Credo in Deum. Et erigens se dicit flectendo Adoramus te Christe et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. Oremus. Perpetua nos quaesumus Domine, pace custodi, quos per lignum sanctae crucis redimere dignatus es. Per Chr. D. n. Hoc dicendo deosculatur stigmata quinque vulnerum Christi, et surgens reinduat calciamenta retro altare. Consequenter post eum adorent ministri et alii fratres per ordinem, semper bini et bini pariter eodem modo, ita quod quando primi duo secundo prosternuntur sequentes duo parati sint ad facere suam primam prostrationem et sic consequenter, cum primi prosternuntur tertio, sequentes faciunt secundam prostrationem et postquam aliquis fecerit prostrationes, reinduit calciamenta. Infra adorationem et prostrationes canuntur inproperia etc, ut habetur in libro. Et in fine ymnus Crux fidelis in toto vel parte iuxta dispositionem cantoris. Finita adoratione crucifixum (sic!) reportatur ad sacristiam nullaque deinceps fit occupatio¹⁾ aut sepultio,] f. 23 v. [sed cum sacramentum ad altare portatur, fratres omnes ascendunt prope altare ad videndum et adorandum sacramentum. Et celebrata communione redeunt ad chorum ad peragendum vespere quae dicuntur non cantando, sed dicendo in directum, ut supra in die Cenae; antiphona tantum ad Magnificat Cum accepisset duplicatur etc. Hora XII. pulsetur tabula ad mensam. Et hac die non parantur mensae solito more, sed dumtaxat manutergia nuda superponuntur loco mensalium et datur tantum unus cibus coctus, videlicet offa de pisci aut aliud simile propter fratres debiles cum pane sufficienti. Dantur et fructus, si haberi possunt et acetum datur et cuilibet unum picarium vini. Hora tertia post meridiem servatur lectio regularis usque ad horam quartam; et facto intervallo solito fit signum ad collationem, ubi potus datur more consueto et fiunt cetera ut supra.

Sabbato sancto.

Excitatio ad matutinum et ad primam fit sicut duobus diebus praecedentibus; hora VII. dicitur tertia; post signum

¹⁾ Am Runde steht: cum ipso.

octavae fit pulsus cum tabula ad sextam et dicta nona extinctis iam luminibus omnibus in ecclesia et per sacristam igne novo producto de silice et ante altare collocato, sacerdos cum ministris exiens praecedente crucifixo et subdyacono cum baculo tricubito, in cuius cavo tres novae candelae fixae sunt et pede coniunctae; postquam ignis fuerit benedictus, dyaconus ordinatus in tabula petita benedictione incipit cantare in laudem cerei: Exultet secundum rubricam suam. Finito cantu illo et sedente sacerdote leguntur per ordinem prophetiae XII, sicut habetur in missali, primam dyaconus, secundam subdyaconus, tertiam senior in choro et sic consequenter. Finitis prophetiis sacerdos exutus casula cum dyacono et subdyacono prosternit se in terra ante altare. Et posito libro in gradibus altaris ante se legit cum ministris letaniam, quae et in choro tunc cantatur. Et quando cantores incipiunt Propitius esto, eriguntur sacerdos et ministri ad genua flectendo usque dum in choro incipitur Peccatores. Et tunc surgentes intrant sacristiam et induti sollempniter in albis procedunt cum ceroferariis et incenso. Et facta confessione et thurificatione post Kyrie eleison in choro incipit Gloria in excelsis. Tunc ad signum in choro cum campanella elevationis fiunt signa in turribus cum omnibus campanis et sic procedit in missa communiter. Alleluia sacerdos incipit ter semper in altando et choro respondente et consequenter cantante versum Confitemini domino etc. Ad ewangelium habetur incensum, sed non luminaria. Post communionem statim in choro incipiuntur vesperae absolute in choro ebdomadarii per seniore ab antiphona Alleluia, quae repetitur post psalmum Laudate dominum omnes gentes cum Gloria Patri. Deinde post antiphonam Alleluia praesidens incipit antiphonam Vespere autem sabbati; qua tota cantata Cantor incipit Magnificat, quo finito repetitur antiphona Vespere autem.] f. 24 r. [Et obmissis aliis omnibus sacerdos in altari adhuc expectans dicit Dominus vobiscum. Oremus. Spiritum nobis etc. Dominus vobiscum. Et dyaconus canit Ite missa est cum duplici Alleluia sollempniter. Et dicitur in choro V. Et fidelium animae cum Pater noster; et antiphona Salve Regina, in fine alleluia. W. Ora pro nobis cum alleluia. Oratio. Gratiam tuam. Facto cum campana signo consueto itur ad mensam. Et lector more consueto petit benedictionem. Et dicitur Gratias in refectorio cum Ps. Laudate Dominum omnes gentes. Versum ad benedictionem mensae vide circa rubricam inferius. Hoc triduo praeter missam cantatam in choro fratres in privato non celebrant missas, nisi forte aliquis exiturus esset in die Cenae, qui posset missam celebrare. Sed et in nativitate domini praeter tres missas, quas prior, supprior et abbas canunt, reliqui sacerdotes singuli unam dumtaxat celebrant missam. Lectio regularis servatur hora tertia et lectio collationis

post quartam, quae propter instantem festivitatem sacram brevior habetur. Ad completorium dicitur Jube dompne ante scilicet collationem Noctem quietem. In fine fratres sobrii estote. In choro Adiutorium nostrum et facta confessione Abbas incipit Convertete nos Deus, Deus in adiutorium. Deinde dicuntur psalmi consueti sine antiphona ita quod post Ps. Cum invocarem addatur Ps. In te domine speravi usque ibi deus veritatis¹⁾. Et cantantur psalmi sub tono octavo fa, fa, re, fa, sol, fa; Capitulum, ymnpus et *Ÿ*. non habentur; sed ultimo psalmo finito incipitur antiphona Vespere autem, quae duplicatur. Canticum Nunc dimittis, deinde Kyrie eleison, Pater Noster, Et ne nos, Dominus vobiscum, Oremus. Visita quaesumus Domine etc. Et in fine data benedictione consueta cantatur antiphona Salve Regina et additur in fine Alleluia et versiculo sequenti. Oratio. Omnipotens sempiterne deus, qui gloriosae virginis in tono sicut ad vespervas. Trina oratio. Salutatio angelica et aqua benedicta etc.

Dominica Resurrectionis.

Ad matutinum Deus in adiutorium etc., ut consuetum est et fiunt secundum regulam XII lectiones, ad unum nocturnum tantum una antiphona habetur. Infra octavam fiunt tres lectiones quotidie de ewangelio diei cuiuslibet. Post octavam deinceps sicut et post penthecostem in feriis una brevis lectio cum brevi responsorio dumtaxat ad nocturnum habetur. Benedicamus dicitur cum alleluia infra octavam pascae usque ad vespervas sabbati quotidie, ad laudes et ad vespervas dumtaxat.

De antiphona Beatae Virginis in fine horarum.

A die pascae usque ad vigiliam ascensionis ad horas in fine loco antiphonae Salve regina dicitur antiphona Regina coeli cum versiculo Surrexit, quem genuisti regina vere (?) alleluia. *B.* Intercede pro nobis ad deum cum omnibus sanctis, alleluia. Oremus. Deus qui per resurrectionem unigeniti filii tui familiam tuam laetificare dignatus es, praesta quaesumus, ut per eius venerabilem genitricem perpetuae]f. 24 v. [consequamur gaudia vitae, et famulos tuos etc. per eundem Chr. D. n. *B.* Amen. Reliquo tempore anni in fine horarum dicitur antiphona Salve regina cum *Ÿ*. Ora pro nobis sancta dei genitrix *B.* Ut digni efficiamur promissione Christi. Oremus. Gratiam tuam quaesumus etc. et famulos tuos ab omni adversitate custodi. Per eundem. Infra adventum domini loco versus Ora pro nobis dicitur versiculus:

¹⁾ Am Rande: inclusive.

Ave Maria, gratia plena. R. Dominus tecum. Cantatur post finem completorii semper antiphona Salve regina, in cuius fine dicitur post versiculum oratio sequens: Omnipotens sempiterne Deus, etc., et famulos tuos ab omni adversitate custodi. Per eundem Chr. D. n. R. Amen. Infra adventum tamen domini loco huius antiphonae cantatur antiphona: Alma Redemptoris mater cum versiculo Ave Maria et oratione Gratiam tuam quaesumus, domine etc. ut supra, usque ad vigiliam nativitatis domini. Tempore autem paschali canitur antiphona Regina coeli cum versiculo et oratione, ut supra patuit etc.

De officialibus maioribus continuis et primo de domino abbate.

Dominus abbas, cui cunctorum fratrum suorum animae pariter et conscientiae sunt commissae, ex cuius etiam diligentia vel negligentia in monasterio paene omnis provenit profectus aut defectus observantiae regularis, saepius sit cum fratribus in conventu, videlicet in capitulo, in refectorio ac praecipue in matutinali officio, et quandoque in diurnis horis, praesertim in missa, vesperis ac completorio, dum sibi vacat, ut sic ex ipsius praesentia ac diligentia fratres in dei timore et reverentia magis proficiant, ut etiam ipse fratrum ex hoc melius cognoscendo condiciones singulorum sic se possit moribus conformare. Item in divino officio existens dicat, quae ad ipsum pertinent. Et si missa sit sua, omnia dicat quae ebdomadarius. Semper autem pertinet ad ipsum illa videlicet: trinam orationem distinguere, omnia signa cessandi a pulsu et ad inchoandum officium facere, errantes in choro et tarde venientes absolvere, benedictiones pro lectionibus dare, antiphonas in laudibus et vesperis ad Benedictus et ad Magnificat ac alias, quae ad ipsum respiciunt, imponere et pater noster in vesperis et laudes (sic!) alta voce pronuntiare, versum in matutino, qui ipsum concernit cantare, ewangelium ibidem sub stola et cuculla legere, Te deum laudamus et Te decet laus incipere et orationem, quae sequitur, sine dominus vobiscum dicere, versum] f. 25 r. [Dominus det nobis suam pacem post horas flectendo cum ceteris et versiculum cum oratione, quae antiphonam sequitur, dicere, ac signum ad surgendum et exeundum facere, versum Adiutorium nostrum et Confiteor tam in prima quam in completorio dicere, in capitulo, quando praesens est, benedicat et regulam, prout poterit aut necessarium viderit, ibidem junioribus et simplicibus exponat et ad devotionem ac disciplinam regularem servandam secundum temporis exigentiam perhortetur. Tractanda et agenda pro monasterii utilitatibus seclusis personis non professis suis ibidem proponat, culpas, prout poterit,

audiat aut audiendas priori committat. Generalem culpam in magna sexta feria cum aliis dicat, similiter in vigilia nativitatis domini cum ceteris ibidem prostrationem faciat. Infirmos, coquinam fratrum et laborantes fratres sive laycos per se, dum potest, saepe visitet, causas monasterii audiat, in missa osculum pacis et ewangelii, ut moris est, accipiat. Ad mensam fratrum dum potest veniat, ubi illa secundum rubricam de mensae benedictione, quae ad ipsum pertinent, dicat; sicut alii comedat et bibat, potest tamen, si libuerit, uti vino meliori, si vult et aliquantulum maiori, ut fratribus in terra manducantibus gratiam et infirmantibus aut cui voluerit facere possit consolationem. Quando non est in refectorio, potest secundum regulam vocare fratres, quos vult, ad mensam suam et praesertim eos, qui magis laborant et magis delicati aut debiles sunt aut quorum indiget consilio et opera. Hospitibus in refectorio aquam porrigit; secundum eorum condiciones ipsos locat. In fine completorii fratres benedicat, antiphonam de beata Virgine incipiat, collectam ultimam dicat et post trinam orationem et angelicam salutationem aqua benedicta fratres aspergat. Item ante omnia suis subditis salutaris doctrinae verbo atque religiose praeesse studeat vitae exemplo, proprietatis vitium praecipue tam in se quam in subditis radicitus evellat, nulli habendae proprietatis occasionem offerat aut permittat. Nullam denique arduam causam absque consilio conventus concludat. Proinde in omnibus sic se gerere studeat abbas, ut a fratribus plus ametur quam timeatur. Insuper singulis annis de omnibus per eum et suos officiales perceptis ac distributis coram tribus aut quattuor senioribus rationem faciat atque fidelem omni anno; quae ratio circa festum purificationis Mariae fieri solita est. Capitula regulae secundum, tertium et quartum frequentius legat, quam quidem regulam simul et omnium patrum statuta et ordinationes et mandata tam in se quam in subditis sollicita cura ac studio summo pro posse faciat observari. Demum familiam habeat competentem et modestam etc.

Tenor litterae quitationis, qui domino abbati post rationem factam per conventum datur, talis est.

Nos frater N. prior totusque conventus monasterii Beatae semperque virginis Mariae in Scheyrn praesentes recognoscimus per tenorem, quod venerabilis] f. 25 v. [in Christo pater et dominus noster, dominus N. abbas praedicti monasterii Beatae Mariae de perceptis omnibus et expositis occasione suae dignitatis et officii de anno dato praesentium immediate praecedente fidelem nobis reddidit rationem cum inventariis remanentium et debitorum registrarumque apud nos depositorum traditione; ea propter eundem

venerabilem patrem et dominum nostrum praedictum de perceptis et expositis quietare, liberare et absolvere duximus atque quietamus liberamus et absolvimus harum serie literarum nostri sigilli minoris robore munitarum. Datum in loco capitulari monasterii praefati sabbato post festum purificationis b. Mariae virginis anno etc. LII.

Forma subscriptionis in registris.

Anno Domini MCCCCLII. XX. mensis Februarii a Reverendo in Christo patre et domino, domino N. abbate in Scheyrn recepta est ratio et computus perceptorum et expositorum anni immediate praeteriti per nos fratres N. priorem N. de ceteris aliis per conventum ibidem ad hoc specialiter deputatis.

De priore.

Prior talis habeatur providus et discretus, qualis in ipsa congregatione aptior poterit inveniri, qui auctoritatem et curam sibi commissam diligenter atque fideliter exerceat et sicut dicitur nomine prior, ita in omni loco et opere dei primus esse debet. Curet summa cum diligentia, ut clausura, debita lex quoque silentii statutis temporibus et locis diligentissime custodiantur. Contra regularia excedentes instituta et disciplinam ac ceteros negligentes in quotidianis capitulis puniat iuxta suorum exigentiam demeritorum. Ad singulorum fratrum cellas claves teneat, quas dum sibi vacaverit, saltem singulis anni quatuor temporibus visitare non praetermittat. Insuper in abbatis absentia omnia supra dicta de abbate faciat. Semper sit in conventu, quem regat loco abbatis; quae ad suum pertinent officium cum diligentia strenue ac sollicitus exequatur, praecipue tamen, ut cultus divinus modo et tempore debito peragatur, disciplina regularis omni loco et tempore plenius conservetur, zelum sanctum habeat in omnibus regulatum et moderatum, non intuitu favoris, amoris vel timoris vitia dissimulando delinquentibus parcat. Sit nihilominus mentibus compassivus infirmis, sit omnino pervigil, ut patrum pristinorum traditiones atque visitorum ordinationes, quaelibet insuper religiosae institutiones ab omnibus et per omnia conserventur. Et caveat omnimode, ne regularis vitae observantia per ipsius desidiam aut incuriam qualemcunque patiat iacturam aut quomodolibet decrescat. Nihilque debet constituere aut ordinare nisi de consensu abbatis. A serviendo et legendo ad mensam est exemptus. Ad loquendum, bibendum et comedendum licentia non indiget, sed cum officio recipit, aliis autem dare potest licentiam; missas sibi specialiter assignatas in certis festivitatibus cantet. Si tarde venerit ad chorum vel ad mensam, non stat ad veniam, etiam

si abbas praesens fuerit neque prostrationes] f. 26 v. [in choro aut refectorio facit. Culpas tamen generales sicut ceteri dicit, in-carcerandos incarcerat datque disciplinas ac reliquas paenitentias regulares imponit. Auctoritatem habet audiendi confessiones fratrum omnium, quotiens ad eum venerint, dare etiam in necessitate huiusmodi auctoritatem fratribus, dum quis confessorem suum ordinarium habere commode non potest, et de confessoribus hospitem super-venientium religiosorum et saecularium solus post abbatem habet ordinare.

De supprior.

Supprior habeatur frater timens deum sanctaeque religionis zelum habens, qui commissionis curam specialem habeat, quam et diligenter studeat exercere. In prioris absentia dumtaxat eiusdem vices in omnibus suppleat et curam regiminis gerat. Locum post eum in congregatione habeat et una cum priore loca vices et tempora pro fratrum custodia diligenter observet, et excessus, quos viderit ipse proclamet; servit et legit ad mensam sicut ceteri in praesentia prioris. Similiter in choro praesente abbate vel priore tarde veniens stat ad mattam et prostrationes facit. Alias vero licentiam pro necessariis, ut ceteri, postulat nec labores privatos fratribus sua sponte imponit etc.

De sacristario.

Sacrista horas pulsandi secundum temporum varietates et festorum, prout supra descriptum est, temperet, ut officia divina horis debitis et congruis persolvantur. Ad eius curam pertinet prima fratrum ad matutinum excitatio et ut ad singulas horas signum debito tempore fiat. Ad primam autem et ad nonam tempore aestivo ipse vel conversus sibi adiunctus aut alius frater ad hoc deputatus excitat fratres. Libros chorales et omnia para-menta et ornamenta ecclesiae munde custodiat, quorum etiam semper habeat registrum. Ad sanctorum reliquias claves habeat, quas, cum postulatum fuerit, cum omni devotione petentibus ostendat. Tabulam officiorum singulis septimanis secundum prioris consilium ordinet. In festis abbatis vel prioris exemptus est a laudibus, ut manius legens missam tempus sibi pateat ordinandi altare. Sub eius cura est sacramentum altaris, quod ad minus semel singulis mensibus in missa privata aut publica debet reno-vari. Hostias seu oblatas suis temporibus procuret. Et providus sit omnino, ne missae fundatae quotidianae et anniversaria negli-gantur. Idem de missis votivis ac sanctorum commemorationibus diligenter observet. Providere etiam habet de candelis tam pro choro quam fratribus in cellis. Procuret etiam, ut arena sub formis sedilium in choro, si sub eis eam reponi contigerit, ad

minus his in anno post pascha et ante hyemem renovetur. Oblationes, quae fiunt ad missas, ad reliquias et ad truncum diligenter conservet et conscribat de anno ad annum, Ornamenta nulla] f. 26 v. [absque iussu abbatis comparet aut emat.

De subsacristario, videlicet converso.

Habeat sacrista ad solatium fratrem aliquem conversum vel laicum fidelem, qui sub custodia habeat sacristiam, in qua fratres induuntur; ad quem specialiter pertinet facere prima signa ad horas et ad missas; claudere et aperire debito tempore ecclesiam; portare aquam tam ad sacristiam quam ad fratrum lavatorium in dormitorio; debitis temporibus incendere et extinguere luminaria in ecclesia et in aliis locis communem transitum fratrum ad dormitorio et refectorium saepius purgare, et ceram superfluum, ne pereat, colligere ac lucernas chori singulis septimanis semel mundare; pallas altarium saepius expulverare ac tempore aestivo ad solem et aërem portare; libros etiam pro missis conscriptis debito tempore ad altaria deferre. Si nuntii aliqui supervenerint aut hospites fratribus loqui volentes, non eosdem fratribus ipsis, sed prius domino abbati aut priori praesentare studeat, quod et ab aliis officialibus et fratribus est diligenter observandum ita, ut talis absque prioris seitu ad conventum nunquam ducatur.

De plebano.

Si cui fratrum tempore commissum fuerit parochiam circa monasterium regere aut forte aliquos pro tempore ad parochias vel capellas exire contigerit, tales honeste et religiose verbis et factis et habitu se conservent. Soli non exeant monasterium, sed cum fratre aut famulo sibi adiuncto, tabernas non intrent nec domos alias quascumque ad ibidem residendum, manducandum vel bibendum. Sacramenta populo gratis ministrent, nihil pro eis exigentes. Indulgentias non pronuntient indiscrete. Domino abbati aut cui ipse commiserit de perceptis oblationibus et emolumentis quibuscumque rationem fidelem faciant. Extra monasterium nullibi manducent. Dominico aut alio die festo plebanus aut ipsius gerens vices exemptus est matutino et ceteris laboribus conventus. Non indiget speciali licentia, quando loqui habet laicis de his, quae suam curam concernunt. Denique statuta synodalia et reliqua regimen animarum concernentia non penitus ignoret etc.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)